Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

94r

illo materiali fuerat perseminatus. Quia vero apud Deum non sententia sacerdotum
sed vita reorum queritur. patet quod non est notandus sententia. quem peccati macula non in
ficit. Hinc et Paulus Corinthiis scribens ait. Si quis frater nominatur fornicator S. xi. Q. iii. Cum quis.
aut avarus. aut inmundus. aut ydolis serviens. cum huiusmodi nec cibum sumere
debetis. Ex quibus verbis datur intelligi. quod nisi prius aliquis fuerit notatus de cri
mine. id est vel coram iudice accusatus vel convictus. vel in iure ipse de se fuerit confessus.
quod nec sententia est feriendus. nec ab eius communione est abstinendum.
Non quod pro alicuius peccato tota familia excommunicanda est. Unde Augustinus scribit ad
Auxilium episcopum. Pro peccato patris non est filius anathematizandus. XXVIII.
Si habes de hac re sententiam certis rationibus vel scripturarum testimoniis S.p. i. d. xx. C. ult.
exploratam. nos docere digneris quomodo recte anathematizetur pro patris peccato
filius. aut pro peccato mariti uxor. aut pro peccato domini servus. aut quisquam in
domo et nondum natus si eo tempore quo universa domus est anathemate obligata nas
catur. nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri. Hec
quippe fuit corporalis pena. qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus
qui eiusdem impietatis participes fuerant pariter interfectos. Tunc quippe ad terrorem
viventium mortalia corpora perimebantur. quandoque et moritura. Spiritualis autem
pena que fit quod scriptum est Que ligaveris super terram erunt ligata et in celo. animas
obligat de quibus dictum est. Ut anima patris ita anima filii mea est. anima que peccaverit.
ipsa morietur. Audistis fortassis aliquos magni nominis sacerdotes. cum domo
sua quempiam anathematizasse peccantium. Sed forte si essent interrogati.
reperirentur idonei inde reddere rationem. ego autem si quis a me querit utrum id rec
te a me fiat. quid ei respondeam non invenio. Numquam hoc facere ausus sum quamvis crun
dis facinoribus unanimiter adversus ecclesiam perpetratis. non gravissime commoverer.
Sed si vel quod iuste id fiat Dominus revelavit. nequaquam iuvenilem etatem tuam. et ho
noris ecclesiastici rudimenta contempno. Senex hic iuveni et episcopus tot annorum
a collega necdum anniculo paratus sum doceri. quomodo possim vel Deo vel hominibus iustam
reddere rationem. si animas innocentes pro scelere alieno quod non trahunt ex Adam. in quo omnes
peccaverunt. spirituali supplicio puniamus. Etenim Classiciani filius et si traxit
a patre noxam primi hominis sacro fonte baptismatis expiandam. tamen per quam eum
genuit quicquid peccati pater eius admisit. ubi particeps ipse non fuit. ad eum
non pertinere quis ambigat. Quid dicam de coniuge. Quid de tot animabus universe fami